



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Johannis Michaelis Dilherri Contemplationes, Et Suspiria Hominis Christiani**

**Dilherr, Johann Michael**

**Norimbergae, 1660**

II. De primaeva hominis nobilitate & ejusdem defectione.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10209**

CONTEMPLATIO-  
NUM ET SUSPIRIO-  
RUM HOMINIS  
CHRISTIANI

## II.

*De primæva hominis nobili-  
tate, & ejusdem defe-  
ctione.*

**I**N honore fui, Domine, & Rex  
cœlestis! tanto: quantus jam à me  
non potest enunciari. Sed cùm in  
honore fui: non intellexi. In quo ho-  
nore habitabam? in loco deliciarum.  
Conversatio mea nihil molestiæ, nec  
indigentia, sentiebat. Odoriferis  
eram malis stipatus; fulcitus honori-  
bus; gloria & honore coronatus: &  
constitutus super opera plasmatoris.  
Magis autem, ob insigne Divinæ simi-  
litudinis, præcellebam: & erat mea  
sors, ac societas, cum gente Angelo-  
rum, & cum omni militia cœlestis ex-  
ercitus: sed mutavi istam gloriam in  
similitudinem vituli, comedentis fœ-  
num.



18 CONTEMPLATIONES  
num. Quot virtutibus sui amictus?  
quid mihi deerat? quem misericordia  
custodiebat, veritas docebat, iustitia  
regebat, pax fovebat?

Sed eheu! quid dicam, Deus meus?

Propriam mihi dederas rationem;  
qua supra omnia animalia eminerem:  
eamque dote quadam sublimiore eve-  
xeras: ut parum abesset, quin ad pu-  
rissimos illos famulos tuos accederem.  
Noveram hoc; sed non agnoveram:  
neque enim, quem in finem tribueras,  
conferebam.

Navim bonam dico, non quæ pre-  
tiosis coloribus picta est, nec cui ar-  
genteum, aut aureum rostrum est: nec  
cujus tutela ebore cælata est, neque fi-  
scis atque operibus regiis pressa est:  
sed quæ stabilis, & firma, & vincturis,  
aquam excludentibus, spissa, ad feren-  
dum incursum maris solida, guberna-  
culo parens, velox, & consentiens  
vento. Gladium bonum dico, non  
cui deauratus est baltheus; nec cui va-  
gina gemmis distinguitur: sed cui &  
ad secandum subtilis acies, & mucro  
omne



omne munimentum rupturus. Regula non quàm formosa, sed quàm recta fit, quæritur. Eo quodque laudatur, cui comparatur; quod illi proprium est. Ergo & ego, qui hæc melius isto, atque hoc tempore, callebam, agnoscere debuissem: bonum me tibi, & acceptum futurum; si ad imperii tui voluntatem me componerem. Sola me obedientia, quàm requirebas, & quàm, absque tuo mandato, tibi debebam, beatum & perfectum fecisset; si voluissem: & detestandis antiqui serpentis suggestionibus non paruissem. Bonus quidem & ab ortu eram: sed bonitas illa erat solùm à te; nulla ex parte à me: accedere autem & à me bonitatis aliquid volebas: quò, tuam illam bonitatem me agnoscere, videres. Sed Satanæ, proditori & hosti tuo, faciliùs & promptiùs, quàm tibi, obtemperavi: cum fraudes ejus spernere faciliùs potuissem; quàm nunc venena mihi, in potu mixta, & ab amicis prædicta.

Excidi, excidi! perfectionem  
meam



20 CONTEMPLATIONES  
meam neglexi ! Heu tristis & lacry-  
mosa mutatio ! homo paradiscola,  
terræ dominus, cœli civis, domesticus  
Domini Sabaoth, & cœlestium virtu-  
tum cohæres, repentinâ se conversio-  
ne quò præcipitavit ?

Propter infirmitatem, jacet in sta-  
bulo : propter pecuinam similitudi-  
nem, ferè indiget fœno : &, propter in-  
domitam feritatem, propemodùm al-  
ligatur præsepio.

Excidi, excidi : & non est quic-  
quam, quod reducat ; nisi tu : ô Mise-  
ricordissime !

CONTEMPLATIO-  
NUM ET SUSPIRIO-  
RUM HOMINIS  
CHRISTIANI

III.

*De hominis à Deo recessu,  
Diaboli fraudibus, Dei omni-  
præsentia & clementia.*

**M**irabilis es, Domine ! & lauda-  
bilis valdè : magna virtus tua,  
& le-